


1525. in Augusto.

Sigismundus I. Rex Poloniae,
Cardinali Sanctorum Quatuor
Coronatorum.

Reverendissime in Christo Pater Pet.

Cognitam habentes Vestra Domi-
nationis reverendissime in Nos, et res
Nostras benevolentiam, et propensionem,
scientesque, et qua prudentia praedita sit
et quantum vobis, cum apud Sanctissi-
mum Dominum Nostrum, tum vero apud
omnes gratia et auctoritate polleat, eam
nobis mox post obitum Reverendissimi olim
Cardinalis de Grajus in protectorem re-
gni Nostrum animo designaveramus. Sed
hactenus curis alijs impediti non potui-
mus, cum Consiliarijs Nostris super ea
re constituere, nunc vero suffragijs o-
mnium illum nobis Protectorem eligimus
et Sanctissimo Domino Nostrum Declaramus
habentes spem indubiam quod negotia
Nostra ea fide et sedulitate istic curare,
et promovere, et tueri dignabitur, qua
hactenus consuevit. Nos vero vicissim er-
ga illam omnia officia et omnem gra-
titudinem quantumcumque poterimus sem-
per exhibere curabimus, quod munus
et non gravatim suscipere, et nostrae
de se expectationi respondere velit
illam ex animo rogamus, eique nos

requimus



regnum Dominia et omnia negotia No:
stra sedulo commendamus.

Ceterum commone nos dignata
Vestra Dominatio Reverendissima ne lite:
ras in uno negotio Dissidentes istuc con:
cederemus, Declarans quoddam literas
alias alijs contrarias sibi a nobis in
negotio Canonatus Craoviens, qui Epi:
scopatu Ploensi unitus erat, reddi:
ta, persuasum habeat Vestra Domi:
natio Reverendissima, nunquam
nobis aliam voluntatem fuisse, quam
quod saepe scripsimus, et unio ipsa re:
scinderetur, si quid scriptum est contra:
rium, Debuerant literae quoddam mo:
do non advertenter emanasse, quod po:
stea Diligentius, attendere curabimus,
quamvis interdum multa nos conce:
dere oporteat ad instantes suppli:
cationes subditorum nostrorum, que
non usq; adeo fiant ex sententia
et Deliberatione Nostra, prout et
apud istam sanctam sedem fieri
id plerumque solet. Felicissime
valeat Vestra Reverendissima Domi:
natio, et nos diligat. Datum Cra:
ovic Die Mensis Augusti. An:
no Domini Millesimo Quingentesi:
mo Vigesimo quinto.